# TRES MEDITATIONES DE HUMILITATE.

## PRIMA MEDITATIO.

*De necessitate humilitatis.*

PRIMUM PUNCTUM. — Prima ratio hujus necessitatis.

*Doctrina Christi.*

*Jesus declarat humilitatis necessitatem ad salutem.*— Homines elati, superbi, sine pace, immites, sine benignitate, tumidi (II *Tim.* III, 2-4), inclinate aurem vestram, et venite ad me : audite, et vivet anima vestra (*Isai.* LV, 3).

Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII, 3). Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum cœlorum. Amen dico vobis : Quisquis non receperit regnum Dei sicut parvulus, non intrabit in illud (*Marc.* X, 14, 15).

Arrogantiam et superbiam detestor (*Prov.* VIII, 13). Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo : quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus (*Eccli.* X, 14, 15). Propter quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6) : omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XIV, 11).

Hæc est via, ambulate in ea (*Isai.* XXX, 21).

*Sentit homo ejus difficultatem simul et desiderium.* — Magister bone (*Matth.* XIX, 16), quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova (*Marc.* I, 27)? quoniam omne quod est in mundo, est superbia vitæ (I *Joan.* II, 16) : cuncta subjacent vanitati (*Eccle.* III, 19). Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei (*Joan.* XII, 43) : et abominatio est superbo humilitas (*Eccli.* XIII, 24).

Domine, doce me justificationes tuas : concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo ; amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum (*Ps.* CXVIII, 12, 20, 34, 39).

II PUNCTUM. — Secunda ratio.

*Exemplum Christi.*

SUMMARIUM. — *Jesus excitat homines exemplo suo ad humilitatis amorem et praxim : eisdemque sui exempli vim evidenti ratione inculcat. Homo vividam humilitatis Christi imaginem exprimit ex omni ejus vita; hoc vero humilitatis exemplar intuens suam omnem superbiam recognoscit et damnat in seipso, in bonis vitæ, in peccatis suis, in dotibus quibuslibet, detestaturque ex animo humili et contrito.*

*Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Id.*, XX, 28). Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* V, 30) ; ego non quæro gloriam meam ; est qui quærat et judicet (*Id.*, VIII, 50) ; pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea (*Ps.* LXXXVII, 16) ; ego sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me (*Ps.* XXI, 7, 8) : posuerunt me abominationem sibi (*Ps.* LXXXVII, 9) : operuit confusio faciem meam (*Ps.* LXVIII, 8) ; cum his qui oderunt pacem, eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis (*Ps.* CXIX, 7). Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones (*Ps.* XXXVII, 15) : humiliatus sum usquequaque (*Ps.* CXVIII, 107).

*Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Vos vocatis me, Magister, et Domine : et bene dicitis ; sum etenim (*Joan.* XIII, 13). Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus (*Luc.* VI, 40). Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Amen, amen dico vobis : Non est servus major Domino suo : neque apostolus major est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea (*Joan.* XIII, 13-17). Reges Gentium dominantur eorum : et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur ; vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? ego autem in medio vestram sum, sicut qui ministrat (*Luc.* XXII, 25-27). Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major Domino suo (*Joan.* XV, 20) : ego autem humiliatus sum nimis (*Ps.* CXV, 10), Dominus et Magister (*Joan.* XIII, 14) ; humiliamini igitur (I *Pet.* V, 6).

Homines superbi (II *Tim.* III, 2), ecce Deus vester, ecce Dominus Deus (*Isai.* XL, 9, 10) : recogitate eum (*Heb.* XII, 3).

Recogitabo.

Ecce Deus noster (*Isai.* XXXVIII, 15 ; XXV, 9) : quam angeli minoratus est (*Heb.* II, 9) : Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), est Filius Mariæ (*Marc.* VI, 3). Cum natus esset (*Matth.* II, 1), pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus, Jesus. Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino : et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia, et erat subditus illis (*Luc.* II, 7, 21, 22, 39, 40, 51) : quicum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philip* II, 6, 7).

Baptizatus est a Joanne in Jordane (*Marc.* I, 9), similitudinem carnis peccati (*Rom.* VIII, 3). putabatur filius Joseph (*Luc.* III, 23), homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus (*Matth.* XI, 19).



Cum sceleratis reputatus est (*Isai.* LIII, 12), qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo (*Act.* X, 38) ; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (I *Pet.* II, 22) ; qui non noverat peccatum (II *Cor.* V, 21) ; qui cum maledicereturur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste (I *Pet.* II, 23).

Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II, 8) ; proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta (*Heb.* XII, 2).

*Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est* (*Exod.* XXV, 40) ; si ignoras te, *inspice exemplar* (*Cant.* I, 7).

*Tu quis es* (*Joan.* I, 19)?

Vir vanus (*Job* XI, 12),

Universa vanitas (*Ps.* XXXVIII, 6),

Homo vanitati similis (*Ps.* CXLIII, 4):

Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere (II *Mac.* IX, 8).

*Tu quis es?*

*Inspice :* Quid superbit terra et cinis (*Eccli.* X, 9)? humiliatio tua in medio tui (*Mich.* VI, 14) : non est creata hominibus superbia (*Eccli.* X, 22).

*Inspice :* Quid te elevat cor tuum (*Job* XV, 12)? omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri (*Isai.* XL, 6). Quid profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit? omnia illa tanquam umbra (*Sap.* V, 8, 9).

*Inspice :* Quid gloriaris in malitia (*Ps.* LI, 3)? infixus in limo profundi (*Ps.* LXVIII, 3), comparatus jumentis insipientibus, et similis factus illis (*Ps.* XLVIII, 13)?

*Inspice :* Quid tumet contra Deum spiritus tuus (*Job* XV, 13)? Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (I *Cor.* IV, 7).

Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi, *dicamus, dentes Domino*, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam : ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia, ita etiam de nostra humilitate gloriemur (*Judith* VIII, 16, 17).

*Dicamus Domino :* Peccavimus (II *Esd.* I, 6, 7), vanitate seducti sumus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (*Ps.* L, 19). Confundantur superbi (*Ps.* CXVIII, 78) : sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur (*Dan.* III, 39).

## II MEDITATIO.

*De praxi humilitatis.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Regulæ humilitatis.*

SUMMARIUM. — *Homo persuasus exemplo et doctrina Christi, solidam sibi proponit humilitatis praxim erga Deum, erga proximum, in fide, in scientia, in bonis operibus, in iis quæ spectant ad divitias et honores, in afflictionibus, erga inimicos, in cogitationibus, verbis, et actionibus et in officiis humanæ societatis.*

*Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi monstratum est* (*Exod.* XXV, 40).

Magister est (*Matth.* XXIII, 10) : Tu discipulus (*Joan.* IX, 28).

Dominus est (*Matth.* XII, 8) : Ego sum servus (II *Reg.* IX, 2).

Noster autem Dominus, Deus est (II *Par.* XIII, 10) : Nihil sum (II *Cor.* XII, 11).

Non est sanctus, ut est Dominus (I *Reg.* II, 2) : Homo peccator sum.

Non est discipulus super magistrum (*Luc.* V, 8 ; VI, 40).

Non est servus major Domino suo (*Joan.* XV, 20).

Major Deus homine (*Job* XXXIII, 12).

Humiliavit semetipsum (*Philip.* II, 8) : humilia te (*Eccli.* III, 20).

Justum est et æquum (*Col.* IV, 1) : ero humilis (II *Reg.* VI, 22), sequar paulatim vestigia ejus (*Gen.* XXXIII, 14), nec contradicam sermonibus Sancti (*Job* VI, 10).

*Inspice et fac.* Humilia te in omnibus (*Eccli.* III, 20).

*Subditus esto Domino* (*Ps.* XXXVI, 7). Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me : quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra ; hæc enim placent mihi (*Jer.* IX, 23, 24).

*Subditus esto Domino*, omni humanæ creaturæ propter Deum (I *Pet.* II, 13) : congregationi pauperum affabilem te facito ; presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum (*Eccli.* IV, 7) : quia sic est voluntas Dei (I *Pet.* II, 15).

Tu fide stas : noli altum sapere, sed time (*Rom.* XI, 20).

De ligno scientiæ boni et mali ne comedas (*Gen.* II, 17) : scientia inflat. Si quis se existimat scire aliquid (I *Cor.* VIII, 1, 2), nondum cognovit quemadmodum oporteat cum scire. *Humilia valde spiritum tuum :* altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus ; non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus ; plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum (*Eccli.* VII, 19 ; III, 22-26). Stultas et sine disciplina quæstiones devita : sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati (II *Tim.* II, 23-25). *Humilia valde spiritum tuum.*

Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus : te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua : ut sit eleemosyna tua in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris ab hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito : et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi (*Matth.* VI, 2-4, 6, 17, 18).

Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua (*Ps.* XXXVI, 7); noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum (*Prov.* XXIII, 4); noli frustra extolli vanis spebus (II *Mac.* VII, 34) ; noli quærere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris (*Eccli.* VII, 4). Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis (*Id.*, XXXII, 1), sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX, 28). Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam : quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur (*Eccli.* III, 20, 21).

Quem diligit Dominus, corripit (*Prov.* III, 12) ; præpara animam tuam ad tentationem : deprime cor tuum : omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe ; quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis, (*Eccli.* II, 1, 2, 4, 5). Humiliare Deo, et expecta manus ejus (*Id.*, XIII, 9).

Ne dicas : Reddam malum (*Prov.* XX, 22) : sed vince in bono malum (*Rom.* XII, 21), cum omni humilitate et mansuetudine (*Ephes.* IV, 2). Jesus dicebat : Pater dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXII, 34) : pro transgressoribus rogavit (*Isai.* LIII, 12) ; memento omnis mansuetudinis ejus (*Ps.* CXXXI, 1).

Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas ; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio (*Tob.* IV, 14). Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua (*Prov.* XXVII, 2) ; non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat (II *Cor.* X, 18). Ne sis sapiens apud temetipsum (*Prov.* III, 7) ; nam si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (*Gal.* VI, 3). Non te extollas in cogitatione animæ tuæ ; noli extollere te in faciendo opere tuo : in mansuetudine serva animam tuam : in mansuetudine opera tua perfice (*Eccli.* VI, 2 ; X, 29, 31; III, 19).

Quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum (*Ps.* CXXXII, 1). Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes : sed per charitatem spiritus servite invicem (*Gal.* V, 26, 13), honore invicem prævenientes, idipsum invicem sentientes : non alta sapientes : sed humilibus consentientes, si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom.* XII, 16, 16, 18) : nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes ; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum ; hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui humiliavit semetipsum (*Philip.* II, 3 6, 8), vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (I *Pet.* II, 22).

Qui facit hæc, non movebitur in æternum (*Ps.* XIV, 5). Omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est (*Hebr.* VIII, 5). *Humilia te in omnibus.*

II PUNCTUM. — *Oratio ad Jesum humilem, cui sese homo imitatorem offert.*

SUMMARIUM. — *Gratiarum actio pro accepto spiritu humilitatis : ejusdem conservandi desiderium, et illum redigendi ad praxim propositum firmum usque ad contemnendum contemptum mundi.*

Jesu præceptor (*Luc.* XVII, 13), mitis et humilis corde (*Matth.* XI, 29), obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II, 8). Rex meus (*Ps.* V, 3), exemplum meum (*Zach.* XIII, 5), quam dulcia faucibus meis eloquia tua (*Ps.* CXVIII, 103) ! posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam ; arrogantiam et superbiam detestor (*Prov.* XXIV, 32 ; VIII, 13) : scio et humiliari (*Philip.* IV, 12). Bonum mihi quia humiliasti me (*Ps.* CXVIII, 71) !

Confirma hoc, Deus, quod operatus es (*Ps.* LXVII, 29) : Averte oculos meos, ne videant vanitatem : in via tua vivifica me ; gressus meos dirige secundum eloquium tuum (*Ps.* CXVIII, 37, 133) : non veniat mihi pes superbiæ : et manus peccatoris non moveat me (*Ps.* XXXV, 12) ; memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti (*Ps.* CXVIII, 49). *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos ; tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris ; jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 28-30). Hæc me consolata est in humilitate mea.

Adolescentulus sum ego, et contemptus (*Ps.* CXVIII, 50, 141, 71) : bonum mihi (II *Reg.* VI, 22) *Vilior fiam, plusquam factus sum : et ero humilis in oculis meis : et respondebo exprobrantibus mihi.*

*Et respondebo :* Priusquam humiliarer, ego deliqui (*Ps.* CXVIII, 42, 67) ;

*Et respondebo :* Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis (*Prov.* XVI, 19).

*Et respondebo :* Volui (*Ps.* XXXIX, 9) : elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Ps.* LXXXIII, 3).

*Ero humilis in oculis meis, et respondebo exprobrantibus mihi :* Humiliavit semetipsum (*Philip.* II, 8) : non est servus major Domino suo (*Joan.* XV, 20) ; gloria magna est sequi Dominum (*Eccli.* XXIII, 38). Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet (*Hebr.* XII, 2).



*Vilior fiam plusquam factus sum* (*Eccli.* LI, 24). et non confundar ; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo ; *Et respondebo exprobrantibus mihi :* Scio quia hoc mihi proveniet ad salutem (*Philip.* I, 18, 19), gloriosior apparebo (II *Reg.* VI, 22) ;

*Et respondebo :* quia speravi in sermonibus tuis (*Ps.* CXVIII, 42) : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XVIII, 14).

## III MEDITATIO.

*Humilis animæ canticum.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Superbiæ humiliatio.*

SUMMARIUM. — *Profligata superbia, in Lucifero, in Adamo, in gigantibus tempore diluvii, in ædificatoribus turris Babel, in Pharaone, in Nabuchodonosore, in Baltassare, in Amano, in Antiocho, in Herode. Hinc arguitur justa causa quam superbi omnes habent timendi similis exitus ; cum et ipsi testes sint talium pœnarum multis aliis a Deo sæpe inflictarum, donec tota superbia pereat æternum in die magna Domini ; ut autem destruatur ante hanc diem desiderat anima humilis ad gloriam Dei et salutem horum peccatorum.*

*Væ coronæ superbiæ : pedibus conculcabitur corona superbiæ* (*Is.* XXVIII, 1, 3).

Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc* X, 18) : ipse est rex super universos filios superbiæ (*Job* XLI, 25). Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo : detracta est ad inferos superbia tua (*Is.* XIV, 12-14, 11)

Adam, ubi es?

Dixit serpens ad mulierem : Eritis sicut dii. Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile ; et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit. Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est (*Gen.* III, 9, 4, 6, 23).

Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti (*Eccli.* XVI, 8). Cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit seculo semen nativitatis, quæ nutu tuo erat gubernata (*Sap.* XIV, 6) : ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.

Erat autem terra labii unius. Dixitque alter ad proximum suum : Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum : et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam, et dixit : Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Et cessaverunt ædificare civitatem ; et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ (*Gen.* X, 32 ; XI, 3-9).

*Væ coronæ superbiæ.* Deus superbis resistit (I *Pet.* V, 5), nec superbi ab initio placuerunt (*Judith* IX, 16), et non placebunt ei. *Pedibus conculcabitur corona superbiæ* (*Osee* IX, 4).

Cantemus Domino ; gloriose enim magnificatus est. Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.

Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? Nescio Dominum (*Exod.* XV, 1, 6, 7 ; V, 3, 4), ait rex Ægypti. Ingressus est eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare : et reduxit super eos Dominus aquas maris ; submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus ; equum et ascensorem dejecit in mare (*Id.*, XV, 19, 10, 1).

Deus altissimus regnum et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor ; elevatum est cor ejus, et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam : depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est ; et a filiis hominum ejectus est, sed et cor ejus cum bestiis positum est, et cum onagris erat habitatio ejus : fœnum quoque ut bos comedebat.

Tu quoque filius ejus Baltassar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia : sed adversum dominatorem cœli elevatus es ; idcirco numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud : appensus es in statera, et inventus es minus habens ; divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis (*Dan.* V, 18, 20-24, 26-28).

Abominatio Domini est omnis arrogans : etiamsi manus ad manum fuerit, non est innocens (*Prov.* XVI, 5). Quis restitit ei, et pacem habuit? (*Job* IX, 4.)

Suspensus est Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo (*Esth.* VII, 10).

Antiochus cœpit ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire ; orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus (II *Macc.* IX, 1, 11-13).

Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ; populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo : et consumptus a vermibus, expiravit (*Act.* XII, 21-23).

*Væ coronæ superbiæ. Pedibus conculcabitur corona superbiæ.*

Et quid adhuc dicam? (*Hebr.* XI, 32.)

Quis non timebit? (*Amos* III, 8.)

Dominus exercituum cogitavit hoc ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret omnes inclytos terræ. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (*Is.* XXIII, 9 ; V, 21) ; væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel (*Amos* VI, 1).

Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt ro-

bore (I *Reg.* II, 3, 4). Dispersit superbos mente cordis sui; deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles; esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes (*Luc.* I, 51-53).

Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat? Apud ipsum est fortitudo et sapientia. Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem; balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum; ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat: commutans labia veracium, et doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super principes, eos, qui oppressi fuerant revelans; revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis; multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit; immutat cor principum populi terræ: et decipit eos, ut frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios (*Job* XI, 11; XII, 16-25).

Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula (*Id.*, XIII, 2).

*Væ coronæ superbiæ. Pedibus conculcabitur corona superbiæ*: quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur; et super omnes cedros Libani sublimes et erectas, et super omnes quercus Basan, et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos, et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum, et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est; et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa (*Is.* II, 12 17).

Exaltare Domine in virtute tua (*Ps.* XX, 14), festina tempus (*Eccli.* XXXVI, 10): superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Leva manus tuas in superbias eorum (*Ps.* LXXIII, 23, 3), *ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu*, et enarrent magnalia tua, ut videant potentiam tuam, ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus; contere caput principum inimicorum, dicentium: Non est alius præter nos, *ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu* (*Eccli.* XXXVI, 2, 3, 5, 12); disperge superbos in furore tuo: et respiciens, omnem arrogantem humilia; respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo (*Job* XL, 6, 7); imple facies eorum ignominia: et quærent nomen tuum, Domine. Erubescant, et conturbentur, et cognoscant quia nomen tibi *Dominus*: tu solus altissimus in omni terra (*Ps.* LXXXII, 17-19).

Viri superbi (*Jer.* XLIII, 2), subditi ergo estote Deo: humiliamini in conspectu Domini (*Jac.* IV, 7, 10): humiliamini sub potenti manu Dei (I *Pet.* V, 6); justum est subditum esse Deo (II *Mac.* IX, 12).

II PUNCTUM. — *Humilitatis exaltatio.*

SUMMARIUM. — *Quantus quantus est Deus, ab humilitate honoratur et ab ea sola potest honorari. In ea Deus sibi complacuit in primis, adeo ut ipse Dei Filius eam dilexerit elegeritque, ut suis cohonestaretur exinanitionibus; illi debeat suæ humanitatis gloriam; eamdemque habuerit quasi regulam spei quæ habetur de æterna gloria.*

*Benedicite, sancti et humiles corde, Domino* (*Dan.* III, 87), quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram (*Ps.* XLVI, 3); quoniam magna potentia Dei solius, *et ab humilibus honoratur* (*Eccli.* III, 21). Nolite timere, pusillus grex (*Luc.* XII, 32): exaltate illum quantum potestis; major est enim omni laude, *et ab humilibus honoratur* (*Eccli.* XLIII, 33). Laudate pueri Dominum (*Ps.* CXII, 1), linguas infantium fecit disertas (*Sap.* X, 21). Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra (*Ps.* VIII, 2, 3)! Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio (*Judith* IX, 16).

*Benedicite, sancti et humiles corde, Domino*, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra; suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui; qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem (*Ps.* CXII, 5-9). In sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum (*Isai.* LVII, 15). Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6).

Dicit Dominus: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos (*Is.* LXVI, 2)? Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio: ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 26-31).

*Benedicite, sancti et humiles corde, Domino*: quia *respexit humilitatem* (*Luc.* I, 48), et omnium Dominus dilexit illam (*Sap.* VIII, 3); Inclinavit cœlos et descendit (*Ps.* XVII, 10); Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14); Homo, homo natus est (*Ps.* LXXXVI, 5); semetipsum exinanivit formam servi accipiens: humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Respexit humilitatem* (*Philip.* II, 7, 8), et in tantum dilexit eam (*Gen.* XXIV, 67).

Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II, 9-11); et omnis lingua confi-



tetur, quia *Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

*Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris; Dominus Jesus Christus* pauper (*Zach.* IX, 9), mansuetus (*Matth.* XXI, 5), humilis corde (*Id.*, XI, 29), audiant mansueti, et lætentur (*Ps.* XXXIII, 3); videant pauperes, et lætentur (*Ps.* LXVIII, 33).

*Quia igitur humiliatus est* (III *Reg.* XXI, 29): humiliemus illi animas nostras (*Judith* VIII, 16), et conregnabimus (II *Tim.* II, 12).

*Quia igitur humiliatus est*: humiles spiritu salvabit (*Ps.* XXXIII, 19).

*Quia igitur humiliatus est*: de nostra humilitate gloriemur (*Judith* VIII, 17).

*Quia igitur humiliatus est*: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V, 3, 4). Nolite timere, pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (*Luc.* XII, 32).

Superbum sequitur humilitas: et humilem spiritu suscipiet gloria. Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia (*Prov.* XXIX, 23, XI, 2): ubi autem est humilitas, ibi et sapientia; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc* XIV, 11).

HUJUS CANTICI CONCLUSIO.

SUMMARIUM.—*Devovet se anima humilis gloriæ Dei cum hominibus qui vere sunt humiles spiritu.*

*Benedicite, sancti et humiles corde, Domino*; magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum (*Ps.* XXXIII, 4).

Nos stulti propter Christum, nos infirmi, nos ignobiles, tanquam purgamenta hujus mundi facti (I *Cor.* IV, 10, 13); nam et tales quærit, qui adorent eum (*Joan.* IV, 32).

Regi seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria (I *Tim.* I, 17).

*Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, super misericordia tua et veritate tua* (*Ps.* CXIII, 1, 9, 10).

*Non nobis, Domine, da gloriam*; nos enim quid sumus? (*Exod.* XVI, 8). Nos mortales sumus (*Act.* XIV, 14), pulvis sumus (*Ps.* CII, 14), servi inutiles sumus. *Sed nomini tuo da gloriam* (*Luc.* XVII, 10); quia nomen tibi *Dominus*: tu solus altissimus in omni terra (*Ps.* LXXXII, 19). Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus (*Ps.* LXXXV, 10), omnium creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus justus, et omnipotens, et æternus.

*Nomini tuo da gloriam super misericordia tua et veritate tua* (II *Mac.* I, 24, 25).

Tibi, Domine, justitia: nobis autem confusio faciei; Domine, nobis confusio faciei: tibi autem Domino Deo nostro misericordia; *Nomini tuo da gloriam* (*Dan.* IX, 7-9), magno nomini tuo (*Jos.* VII, 9), nomini sancto tuo (I *Par.* XVI, 35), *Nomini tuo*, quod est super omne nomen (*Philip.* II, 9):

Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, et laudabile, et superexaltatum in omnibus seculis (*Dan.* III, 52).

## TRES MEDITATIONES DE PŒNITENTIA (1).

Ibat secundum consuetudinem in montem olivarum: secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum, avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis (*Luc.* XXII, 39-41): et cœpit pavere, et tædere, contristari et mœstus esse (*Marc.* XIV, 33). Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI, 37-39): verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu; et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII, 43, 44).

PRIMA MEDITATIO.

*Primus effectus peccati. Pudor peccati.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Querelæ Jesu apud Deum Patrem suum.*

SUMMARIUM. — *Jesus ingemens sub pondere peccatorum nostrorum, quæ sibi imputaverat, animi sui confusionem exponit Deo Patri suo, eumdemque rogat, ut ea vertatur in omnium salutem, nemini autem in scandalum. Attonito simul et grato animo expendit homo pudorem ac fructum translationis hujus nostrorum peccatorum in Jesum Christum.*

Pater (*Luc.* XXII, 42), torrentes iniquitatis conturbaverunt me: Funes peccatorum circumplexi sunt me: multiplicata est super me iniquitas superborum (*Ps.* XVII, 5; CXVIII, 61, 69): supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.

Deus tu scis insipientiam meam (*Ps.* CXXVIII, 3; LXVIII, 6): culpa est omnis populi (*Numer.* XV, 26). Delicta mea a te non sunt abscondita (*Ps.* LXVIII, 6). Neque iniquitas mea neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri et direxi. Ego sum vermis, et non homo (*Ps.* LVIII, 5; XXI, 7). opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Salvum me fac, Deus (*Ps.* LXVIII, 2), transfer calicem istum a me (*Luc.* XXII, 42). Intraverunt aquæ usque ad animam meam; infixus sum in limo profundi: et non est substantia (*Ps.* LXVIII, 2, 3)

(1) Christus, qui nostra in se transtulerat peccata, pœnitentiæ exemplum nobis exhibuit in horto Olivarum, sui intimis animi doloribus expressum. Sunt autem hi dolores tædium ex peccati pudore, tristitia peccati, ejusdem que pœnarum timor

Tædet animam meam vitæ meæ : quare posuisti me contrarium tibi ( *Job* X, 1 ; VII, 20 ) ? Ita, Pater : quoniam sic fuit placitum ante te ( *Matth.* XI, 26 ).

Non erubescant in me qui expectant te, Domine, Domine virtutum ; non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel. Quoniam propter te sustinui opprobrium : operuit confusio faciem meam ; quoniam zelus domus tuæ comedit me : et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me. Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam ; in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me ( *Ps.* LXVIII, 7, 8, 10, 20, 21 ), omnes peccatores terræ ( *Ps.* CXVIII, 119 ). Sanctifica eos in veritate. Pro eis ego sanctifico me ipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate ( *Joan.* XVII, 17, 19 ).

*Hominis consideratio super his querelis.* — Accedite gentes ; populi, attendite ( *Isai.* XXXIV, 1 ). Intellexistis hæc omnia ? Scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret : et peccatum in eo non est ( *Matth.* XIII, 51 ; I *Joan.* III, 5 ). Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum ( I *Pet.* II, 24 ). Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi ( *Joan.* I, 29 ). Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum ( *Is.* LIII, 6 ). Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso ( II *Cor.* V, 21 ).

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum ( *Gal.* III, 13 ). Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus ( *Is.* LIII, 4, 5 ). Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, qui diximus : In umbra tua vivemus ( *Thren.* IV, 20 ).

Tu autem fili hominis, audi ( *Ezech.* II, 8 ). Gratiam fidejussoris ne obliviscaris ; dedit enim pro te animam suam. Repromissorem fugit peccator et immundus, et ingratus sensu delinquet liberantem se ( *Eccli.* XXIX, 20-22 ).

II PUNCTUM. — *Querelæ Jesu apud homines.*

SUMMARIUM. — *Meritissimo debet homo cum Jesu suorum peccatorum subire confusionem. Confusionem hanc persentit homo, Jesumque orat, ut ejus in se recipiendo peccata velit illum a morte æterna eripere.*

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus ( *Thren.* I, 12 ). Quid feci ? Quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum ( I *Reg.* XX, 1 ) ?

Quis est in vobis qui audiat hoc ? attendat.

Servire me fecisti in peccatis tuis : præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis ( *Is.* XLII, 23 ; XLIII, 24 ). Tu scis improperium meum, et confusionem meam ( *Ps.* LXVIII, 20 ) ; ergo et tu porta confusionem tuam ( *Ezech.* XVI, 52 ). Frons mulieris meretricis facta est tibi : noluisti erubescere ( *Jer.* III, 3 ) ; ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam ( *Ezech.* XVI, 52 ). Est confusio adducens gloriam, et gratiam ( *Eccli.* IV, 25 ).

*Consideratio hominis super his querelis.* — Deus meus, confundor ( I *Esd.* IX, 6 ) : confusio faciei meæ cooperuit me a voce exprobrantis ( *Ps.* XLIII, 16, 17 ).

Ego sum reus ( I *Reg.* XXII, 22 ), ego qui peccavi ( I *Par.* XXI, 17 ) : *sed porta, quæso, peccatum meum* ( I *Reg.* XV, 25 ), omnes iniquitates meas ( *Thren.* I, 22 ), ignorantias meas ( *Ps.* XXIV, 7 ).

Propter me tempestas hæc grandis venit ( *Jonæ* I, 12 ) : *sed porta, quæso, peccatum meum* ; Domine, salva nos, perimus ( *Matth.* VIII, 25 ).

*Porta, quæso, peccatum meum :* alioquin moriar ( *Gen.* XXX, 1 ).

*Porta peccatum meum*, usque ad mortem, mortem autem crucis ( *Philip.* II, 8 ) : *alioquin moriar.*

Væ nobis, quia peccavimus ( *Thren.* V, 16 ) ; Domine, nobis confusio faciei : tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio ( *Dan.* IX, 8, 9 ).

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum ( *Ps.* XXX, 2 ).

## II MEDITATIO.

*Secundus effectus peccati. Tristitia peccati.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Occupatio cordis Jesu in hoc tristitiæ statu.*

SUMMARIUM. — *Cum nostra in se recepisset Jesus peccata, expiat illa actibus perfectissimæ contritionis.*

*Tristis est anima mea usque ad mortem* ( *Matth.* XXVI, 38 ). Deus, Deus meus, respice in me : quare me dereliquisti ? longe a salute mea verba delictorum meorum ( *Ps.* XXI, 2 ).

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

*Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei* ( *Ps.* CXVIII, 53, 139 ).

*Inimici mei !* Sunt fratres mei ( *Matth.* XII, 48 ), amici mei ( *Joan.* XV, 14 ). *Tabescere me fecit zelus meus :* quia dereliquerunt pactum tuum. Derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam ( III *Reg.* XIX, 14 ). Pater, dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt ( *Luc.* XXIII, 34 ).

*Tristis est anima mea usque ad mortem :* respice in faciem Christi tui ( *Ps.* LXXXIII, 10 ) ; *cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* ( *Ps.* L, 19 ). Memorare quæ mea substantia ; memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo ; *cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* ( *Ps.* LXXXVIII, 48, 51 ) ; cor meum mœrens ( *Thren.* I, 22 ), cor omnium filiorum hominum ( III *Reg.* VIII, 39 ), et omne cor mœrens *non despicies* ( *Isai.* I, 5 ).

Parce, Domine, parce populo tuo ( *Joel* II, 17 ) : quiescat ira tua et esto placabilis super nequitia populi tui ( *Exod.* XXXII, 12 ). Consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna ( *Dan.* IX, 24 ).

Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestam omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Pater sancte, sanctifica eos in veritate. Pro eis ego sanctifico me ipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Notum feci eis nomen tuum, et notum faciam : ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis ( *Joan.* XVII, 1, 2 ; 11, 17, 19, 26 ).



II PUNCTUM. — *Effluentia tristitiæ ex corde Jesu in cor hominis.*

COLLOQUIUM UTRIUSQUE.

SUMMARIUM. — *Jesus exprobrat homini duritiem cordis, eumdemque amanter hortatur ut veniat in partem sui doloris. Homo sanctam hanc tristitiam postulat a Jesu, qui eam promittit postulanti. Exinde homo, spiritu compunctionis afflatus et commotus vicissim, spondet hanc a se conservandam fore usque ad mortem.*

*Jesus.* — *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus* ( *Thren.* I, 12 ).

*Tristis est anima mea usque ad mortem* ( *Marc.* XIV, 34 ). Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni ( *Ps.* LXVIII, 21 ). Nolite flere super me, sed super vos flete ( *Luc.* XXIII, 28 ). Iratus est mihi Dominus propter vos ( *Deut.* III, 26 ) ; scindite corda vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum ( *Joel* II, 13 ).

*Tristis est anima mea usque ad mortem.* Væ vobis, qui ridetis ( *Luc.* VI, 25 ) ; miseri estote, et lugete, et plorate : risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem ( *Jac.* IV, 9 ). Audi, populo stulte, qui non habes cor : qui habentes oculos, non videtis : et aures, et non auditis. Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis ( *Jer.* V, 21, 22 ).

*Homo.* — *Redemptor vitæ meæ*, cui comparabo te ? vel cui exæquabo te, *et consolabor te ?* magna est enim velut mare contritio tua ( *Thr.* III, 58 ; II, 13 ).

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ? *et consolabor te* ( *Jer.* IX 1 ). *Domine, da mihi hanc aquam* ( *Joan.* IV, 15 ). dulcem et amaram aquam ( *Jac.* III, 11 ), aquam refectionis ( *Ps.* XXII, 2 ) ; *Domine, da mihi hanc aquam, et consolabor te.* Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis ( *Ps.* LXXIX, 6 ), *et consolabor te.*

*Jesus.* — Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis ( *Ther.* III, 19 ) : *recordare*, fluent aquæ ( *Ps.* CXLVII, 18 ).

*Homo.* — Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea ( *Thren.* III, 20 ), ego qui malum feci ( I *Par.* XXI, 17 ).

*Redemptor vitæ meæ, tristis est anima mea usque ad mortem*, ad destitutionem peccati ( *Hebr.* IX, 26 ) : simili autem pœna servus cum domino afflictus est ( *Sap.* XVIII, 11 ), *usque ad mortem.* Caro ejus dum vivet dolebit, et anima illius super semetipso lugebit ( *Job* XIV, 22 ). Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ ( *Isai.* XXXVIII, 15 ). In abscondito plorabit anima mea, plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrymam ( *Jer.* XIII, 17 ) *usque ad mortem.*

*Tristis est anima mea usque ad mortem :* utinam ( *Gen.* XVII, 15 ) usque ad mortem, mortem crucis ( *Philip.* II, 8 ).

## III MEDITATIO.

*Tertius effectus peccati. Timor pœnarum peccati.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Hujus timoris pugna in ipso corde Jesu, cum ejusdem amore erga homines.*

SUMMARIUM. — *Jesus timore compulsus, rogat enixe Patrem suum, ut paratum calicem transferat a se, postulat iterum, etiamque tertio ; donec timore cedente amori, vadem se dat Patri suo ad mortem pro hominibus secundum arbitrium voluntatis paternæ. Homo tantum amorem demiratur.*

Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam : intende mihi, et exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea : et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris : quoniam declinaverunt in me iniquitates. Cor meum conturbatum est in me : et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ ( *Ps.* LIV, 2-6 ). Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu ( *Matth.* XXVI, 39 ).

Deus meus, clamabo per diem et non exaudies ; et nocte, et non ad insipientiam mihi. In te speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos ; ad te clamaverunt, et salvi facti sunt. Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. Ne discesseris a me : quoniam tribulatio proxima est : ad defensionem meam conspice ( *Ps.* XXI, 4-7, 12, 20 ). Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me : sed non quod ego volo, sed quod tu ( *Marc.* XIV, 36 ).

Laboravi clamans : Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me ( *Ps.* LXVIII, 4, 17, 18 ). Pater, si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat ( *Luc.* XXII, 42 ).

Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Ita, Pater ( *Matth.* XXVI, 42 ; XI, 26 ) : quoniam sic fuit placitum ante te. Quia expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat ( *Joan.* XI, 50 ) : parce, Domine, parce populo tuo ( *Joel* II, 17 ) : tolle Filium tuum unigenitum quem diligis ( *Gen.* XXII, 2 ). Domine Deus meus, vertatur, obsecro, manus tua in me : populus autem tuus non percutiatur. ( I *Paral.* XXI, 17 ).

Animam meam pono pro ovibus meis ( *Joan.* X, 15 ).

*Hominis consideratio super hoc.* — Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo ( *Is.* LVII, 1 ). Hic est fratrum amator, et populi Israel ( II *Macc.* XV, 14 ) ; qui doluit super miseriis eorum ( *Judic.* X, 16 ), et ploravit super singulos ( *Gen.* XLV, 15 ).

et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII, 44).

II PUNCTUM. — *Amoris triumphus in sudore sanguineo.*

Jesu et hominis colloquium.

SUMMARIUM. — *Jesus aperit hominibus mysterium sudoris sanguinei, qui non ex alia fluxit causa, quam ex odio peccati simul et ex amore suo erga illos; eosdem hortatur ad pœnitentiam, cui se devovet homo, excitans seipsum cum aliis peccatoribus ad ejus munia, et totam suam fiduciam reponens in Jesu.*

*Jesus.* — *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus* (*Thren.* I, 12).

*Homo.* — Quis est iste qui venit, tinctis vestibus? Iste formosus in stola sua?

*Jesus.* —*Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.*

*Homo.* — Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

*Jesus.* — Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum (*Is.* LXIII, 1-3). Sicut aqua effusus sum : factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei (*Ps.* XXI, 15). Aspersus est sanguis super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.

Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, et non erat auxiliator : quæsivi, et non fuit qui adjuvaret : salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi (*Is.* LXIII, 3-6); Amor quoque (*Eccle.* IX, 6) : Quia fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII, 6). Ego pono animam meam : nemo tollit eam a me (*Joan.* X, 17, 18).

*Attendite, et videte. Ego qui loquor justitiam : Pœnitentiam agite* (*Matth*, VI, 17).

Quæ non rapui, exsolvebam (*Ps.* LXVIII, 5). Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus (*Job* XVI, 18, 19).

*O vos omnes, qui transitis per viam, attendite.* Vox sanguinis clamat (*Gen.* IV, 10) : *Pœnitentiam agite;* si pœnitentiam non egeritis, omnes peribitis (*Luc.* XIII, 5).

*Attendite :* nondum usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes (*Hebr.* XII, 4).

*Attendite et videte* : potestis bibere calicem, quem ego bibo (*Marc.*, X, 38)?

*Homo.* — Possumus (*Ibid.*, 39), debemus (*Rom.* XV, 1), bibemus (*Amos* IV, 1).

*Jesus.* — Transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI, 39), ad te : ad te quoque perveniet, inebriaberis (*Thren.* IV, 21). Sume calicem de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus (*Jer.* XXV, 15).

*Homo.* — Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi (*Ps.* CXV, 12), pro sanguine (IV *Reg.* IX, 26), pro morte (*Eccli.* LI, 13)?

*Calicem salutaris accipiam*, et nomen Domini invocabo (*Ps.* CXV); *calicem mœroris et tristitiæ, mœroris et tristitiæ salutaris* (*Ezech.* XXIII, 33). Agam et ego pœnitentiam in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in fame et siti, in frigore, in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus (II *Cor.* VI, 4, 5; XI, 27; XII, 10).

Accepi calicem de manu Domini (*Jer.* XXV, 17): bibam illum (*Matth.* XXVI, 42); et calix meus inebrians quam præclarus est (*Ps.* XXII, 5).

Redite, prævaricatores, ad cor (*Isai.* XLVI, 8); venite adoremus, procidamus, *ploremus* (*Ps.* XCIV, 6).

Lacrymatus est Jesus (*Joan.* XI, 35); *ploremus.*

Pœnituit eum (*Gen.* VI, 6); *pœniteamus* (*Judith* VIII, 14), semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes (II *Cor.* IV, 10).

Ait : Tristis est anima mea usque ad mortem (*Marc.*, XIV, 34); oportet contristari (I *Petr.* I, 6).

Factus in agonia, prolixius orabat (*Luc* XXII, 43); vigilate et orate, ut non intretis in tentationem (*Matth.* XXVI, 41). O homo (*Luc.* XXII, 58), pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia (*Eccli.* IV, 33).

Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII, 44); nondum usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes (*Hebr.* XII, 4).

Apparuit illi angelus confortans eum (*Luc.* XXII, 43), et noluit consolari (*Matth.* II, 18); consolabitur in nobis (II *Mac.* VII, 6).

*Vox sanguinis clamat : Pœnitentiam agite* (*Gen.* IV, 10; hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Ps.* XCIV, 8).

*Pœnituit, pœniteamus :* et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit (*Luc.* XXIII, 41).

Non habet necessitatem pro suis delictis hostias offerre (*Hebr.* VII, 27). Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi (I *Joan.* II, 2). Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis (*Eccli.* XLIX, 3); pœnitentibus dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis (*Id.*, XVII, 20). Adeamus ergo cum fiducia, ita ut confidenter dicamus (*Hebr.*, IV, 16; XIII, 6) : Non timebo mala, quoniam tu mecum es (*Ps* XXII, 4).

*Jesus.* — Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino (*Ps.* IV, 6) : *propugnator sum ad salvandum.*

*Attendite, et videte.* Ego effudi flumina (*Eccli.* XXIV, 40) : rupti sunt omnes fontes (*Gen.* VII, 11). Hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI, 28) : haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Omnes sitientes *venite ad aquas* (*Is.* XII, 3; LV, 1). Quid adhuc retardatis? et quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer (*Eccli.* LI, 32).



*Venite ad aquas*, properate, lavamini, mundi estote (*Is.* LV, 1; I, 16); et suscipiat anima vestra disciplinam (*Eccli.* LI, 34).

# QUINQUE MEDITATIONES DE PASSIONE JESU-CHRISTI.

## PRIMA MEDITATIO.

*Mundi voluptatem damnant dolores Christi.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Jesus patiens condemnat hominem voluptuosum.*

SUMMARIUM. — *Hominis voluptuosi character. Acerbitas dolorum Jesu Christi. Oppositio illorum et vitæ voluptuariæ aut delicatæ. Jesu crucifixi oblivio, quam parit vita voluptuosa, et ex ea secutura mors infelicissima.*

*Multi ambulant, quos sæpe dicebam, nunc autem et flens dico inimicos crucis Christi : quorum finis interitus : quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt* (*Philipp.* III, 18, 19).

Dicebat Jesus ad eos (*Joan.* VIII, 31) :

*O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte* si est dolor sicut dolor meus (*Thren.* I, 12).

*O vos omnes*, voluptatum amatores (II *Tim.* III, 4), væ vobis, qui ridetis nunc (*Luc.* VI, 25).

*Attendite :* audite, quæso, sermones meos, et agite pœnitentiam; sustinete me, et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete.

*Attendite me, et obstupescite* (*Job* XXI, 2, 3, 5).

Ceperunt animam meam (*Ps.* LVIII, 4); venatione ceperunt me, quasi avem (*Thr.* III, 52); vinctum adduxerunt, et tradiderunt ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum (*Matth.* XXVII, 2; XX, 19). Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me (*Isai.* L, 6). Congregata sunt super me flagella, et ignoravi (*Ps.* XXXIV, 15); dinumeraverunt omnia ossa mea. *Attendite et videte* (*Ps.* XXI, 18). A planta pedis usque ad verticem non est sanitas (*Isai.* I, 6).

*Voluptatum amatores, attendite me, et obstupescite;* videte regem in diademate (*Cant.* III, 11) : plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus (*Matth.* XXVII, 29); exivit portans coronam spineam, (*Joan.* XIX, 5, 17); bajulans sibi crucem (*Isai.* IX, 6) factus est principatus super humerum ejus (*Matth.* XXVII, 31) et duxerunt eum ut crucifigerent. Ecce rex vester : et non cognovistis (*Joan.* XIX, 14; XIV, 9).

*Attendite, et videte* spineam coronam (*Marc.* XV, 17). Regnum meum non est de hoc mundo; vos de mundo hoc estis (*Joan.* XVIII, 36; VIII, 23). Exultate in lætitia : personate, et canite, et dicite (*Jer.* XXXI, 7) : Coronemus nos rosis antequam marcescant (*Sap.* II, 8). *Væ vobis qui ridetis*; hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi et Dei (*Ephes.* V, 5).

*Attendite, et videte* omne caput languidum, et omne cor mœrens (*Isai.* I, 5). Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis (*Jer.* V, 22)? Fili mi (*Eccle.* XII, 12), usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ (*Jer.* IV, 14)? homo delicatus in te, et luxuriosus valde (*Deut.* XXVIII, 54)! Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga (*Jer.* XXXI, 22)?

*Attendite, et videte* Regem vestrum (*Joan.* XIX, 15); crucifixerunt eum (*Marc.* XV, 25); foderunt manus meas et pedes meos; dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto; diviserunt sibi vestimenta mea (*Ps.* XXI, 18; LXVIII, 22; XXI, 19). Væ qui opulenti estis, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti (*Amos* VI, 1, 4, 5, 6).

Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ (*Jer.* XIII, 25), factio lascivientium (*Amos* VI, 7); *et opus Domini* non respicitis (*Isai.* V, 12),

Opus grande (I *Par.* XXIX, 1),

Admirabile opus (*Eccli.* XLIII, 2),

Opus justitiæ (*Isai.* XXXII, 17),

Opus terribile (*Exod.* XXXIV, 10),

*Opus Domini*, qui salvavit vos (I *Reg.* X, 19), et tradidit semetipsum hostiam Deo (*Ephes.* V, 2).

*Attendite, et videte.* Auferetur factio lascivientium (*Amos* VI, 7). Tempus flendi, et tempus ridendi; *væ vobis qui ridetis nunc* (*Eccle.* III, 4) : quia lugebitis et flebitis (*Luc.* VI, 25). Despexistis omne consilium meum (*Prov.* I, 25), meum sanguinem (*Joan.* VI, 55), mortem meam (*Gen.* L, 23); ego quoque in interitu vestro ridebo (*Prov.* I, 26).

II PUNCTUM. — *Condemnat seipsum homo voluptuosus.*

*Damnationis hujus rationes.*

Quid respondebo (*Job* XXXI, 14)? Confundor et erubesco (I *Esd.* IX, 6).

Ait Urias ad David : Arca Dei et Israel et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent : et ego ingrediar domum meam, ut comedam, et bibam, et dormiam cum uxore mea? *Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc* (II *Reg.* XI, 11).

Quid dicam (*Jos.* VII, 8)?

*Justus perit, justus* (*Isai.* LVII, 1), Filius Dei (*Marc.* XV, 39), Rex meus et Deus meus (*Ps.* LXXXIII, 4), crucifixus Jesus (*Joan.* XIX, 20);

*Justus perit*, in ligno (*Act.* V, 30), vulneratus propter iniquitates nostras (*Isai.* LIII, 5) : *ego autem*

*adhuc delicatus* (II *Reg.* III, 39), *ego carnalis* (*Rom.* VII, 14), *voluptati operam dabo* (*Gen.* XVIII, 12)?

Omnis creatura ingemiscit : *Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo* (*Rom.* VIII, 22).

Dæmones contremiscunt (*Jac.* II, 19) ; Angeli pacis amare flebant (*Isai.* XXXIII, 7) ; stabat juxta crucem Jesu mater ejus (*Joan.* XIX, 25), et pervenit gladius usque ad animam : *Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo* (*Jer.* IV, 10)?

Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, terra mota est, petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (*Matth.* XXVII, 51, 52); tenebræ factæ sunt in universam terram, obscuratus est sol : *Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo?*

Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur : *Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo* (*Luc.* XXIII, 44, 45, 48)?

Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV, 26) ; regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (*Matth.* XI, 12) ; qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis : *Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo* (*Gal.* V, 24)?

*Per salutem animæ, non faciam rem hanc.*

*Cogitavi in corde meo* abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam (*Eccle.* II, 3). Nescit homo pretium ejus : nec invenitur in terra suaviter viventium (*Job* XXVIII, 13). Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (I *Cor.* IX, 27), holocaustum offeram Domino (*Judic.* XI, 31), hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (*Rom.* XII, 1), qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (*Gal.* II, 20).

*Cogitavi, ut animum meum transferrem ad sapientiam*, Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam : ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Dei virtutem et sapientiam (I *Cor.* I, 23, 24).

*Voluptatum amatores*, abjiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis ; sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis (*Rom.* XIII, 12, 13). Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : quia qui passus est in carne, desiit a peccatis : ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis ; sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam (I *Pet.* IV, 1-3).

## II MEDITATIO.

*De regno Jesu Christi spinis coronati et crucifixi.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Figura hujus mysterii.*

SUMMARIUM. — *Quamvis Jonathan filius Gedeonis, et auctor hujus fabulæ, nihil haberet in se quo significaretur Verbi divini auctoritas, tamen Spiritus sanctus nobis transmisit illam cum sacris parabolis ad utilitatem nostram.*

*Audite viri.*—Ierunt ligna, ut ungerent super se regem : dixeruntque olivæ : *Impera nobis.* Quæ respondit: *Numquid possum deserere pinguedinem meam*, qua et dei utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum : *Veni, et super nos regnum accipe.* Quæ respondit eis : *Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos*, et ire, ut inter cætera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem : Veni, et impera nobis. Quæ respondit eis : *Numquid possum deserere vinum meum* quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri? Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : *Veni, et impera super nos.* Quæ respondit eis : *Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite ; si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani* (*Judic.* IX, 7-15).

II PUNCTUM. — *Aptatur hæc figura mysterio per colloquium hominis et Jesu.*

SUMMARIUM. — *Regnet Jesus super nos, non peccatum, neque caro, neque mundus. Felicitas regni Jesu. Infelicitas hominum qui nolunt uti sese subjicere. Actus adorationis et consecrationis quo se devovet homo Jesu spinis coronato. Lex præcipua ejus regni ; admiranda legis hujus praxis in omnibus sanctis. Sincerum desiderium imitandi illos et vivendi sub regno Christi.*

*Homo.*—Constituam super me regem (*Deut.* XVII, 14).

Non ergo regnet peccatum (*Rom.* VI, 12), neque caro (*Act.* II, 31), sive mundus (I *Cor.* II, 22). Vociferantur dicentes : *Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos? Numquid possum deserere pinguedinem meam? Numquid possum deserere vinum meum* (*Exod.* V, 8) ? Verumtamen existimo, omnia detrimentum esse, ut Christum lucrifaciam (*Philip.* III, 8).

Rex meus (*Ps.* V, 3), Jesus portans coronam spineam (*Joan.* XIX, 5).

*Egredimini et videte, filiæ Sion, regem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die lætitiæ cordis ejus ; videte regem* [*pacificum*] *Salomonem* (*Cant.* III, 11), regem seculorum (*Tob.* XIII, 6), regem cœli (*Dan.* IV, 34). *Speciosus forma* præ filiis hominum ; *speciosus* (*Ps.* XLIV, 3), sicut lilium inter spinas (*Cant.* II, 2), imperabit nobis (I *Reg.* XII, 12).

*Veni, Domine Jesu : impera nobis.* Dignus es, Domine Deus noster, accipere et gloriam et honorem (*Apoc.* XXII, 20 ; IV, 11).

*Jesus.* — *Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite : et non erit ultra spina dolorem inferens* (*Ezech.* XXVIII, 24) ; venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos : tollite jugum meum super vos et invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est et onus meum leve. *Venite, et sub umbra mea requiescite : et non erit ultra spina dolorem inferens* (*Matth.* XI, 28-30).



*Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.* Dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli (*Matth.* XXVI, 64). Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus (*Ps.* XCVI, 3). Tunc dicet : Discedite a me, *maledicti*, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41).

*Maledicti*, qui noluerunt me regnare super se (*Luc.* XIX, 27).

*Homo.* — *Domine Jesu, impera nobis* cum spinis (*Judic.* VIII, 7) : in umbra tua vivemus (*Thren.* IV, 20). Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me ( *Job* XVII, 3) ; si Deus pro nobis, quis contra nos (*Rom.* VIII, 31)?

*Impera nobis :* servi tui sumus (*Jos.* IX, 8). *Veni, et super nos regnum accipe :* dignus es, Domine : *Veni, et impera super nos* (*Apoc.* V, 9) : beati servi tui (III *Reg.* X, 8) : colligunt de spinis uvas (*Matth.* VII, 16).

*Venite, filiæ Sion*, justorum animæ ; *venite, et videte regem Salomonem in diademate ; venite* (*Sap.* III, 1), *adoremus et procidamus : et ploremus ante Dominum qui fecit nos :* quia ipse est Dominus Deus noster (*Ps.* XCIV, 6, 7).

*Adoremus et procidamus, dicentes : Ave* Rex Judæorum (*Matth.* XXVII, 29), *ave*, Rex gentium (*Jer.* X, 7), *ave*, Rex mundi (II *Mac.* VII, 9), *ave*, Rex regum ; *ave*, Rex seculorum (*Apoc.* XVII, 14 ; XV, 3), *ave*, Rex omnipotens (*Esth.* XIII, 9), *ave*, Rex justitiæ, *ave*, Rex pacis (*Hebr.* VII, 2), *ave*, Rex virtutum (*Ps.* LXVII, 13), *ave*, Rex gloriæ (*Ps.* XXIII, 10), Adorate eum omnes angeli ejus (*Ps.* XCVI, 7). *Venite, filiæ Sion : ploremus ante Dominum qui fecit nos.*

*Domine Rex* (*Esth.* XIII, 15), *confige timore tuo carnes meas, confige cum spinis* (*Ps.* CXVIII, 120) : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (*Ps.* L, 19), dum configitur spina (*Ps.* XXXI, 4). Anima mea (*Tob.* XIII, 19), sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire (*Eccli.* XXVIII, 28), vocem incantantium, et venefici incantantis (*Ps.* LVII, 6).

*Domine Rex, veni, et impera nobis.*

*Jesus.* — *Si vere me Regem vobis constituitis*, custodite leges meas (*Levit.* XVIII, 5).

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus (*Matth.* XVI, 24 ; X, 38).

Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 27).

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis (*Joan.* XIII, 15).

*Homo.* — *Domine Jesu*, beati servi tui qui audiunt sapientiam tuam (III *Reg.* X, 8).

Exarserunt sicut ignis in spinis (*Ps.* CXVII, 12) ; carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V, 24), ludibria et verbera experti, insuper vincula et carceres ; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt ; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis : quibus dignus non erat mundus ; in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ (*Hebr.* XI, 36-38) : *Inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.*

Vita ipsa putabantur indigni, egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate et miseria ; mandebant herbas, et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus eorum : in desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ, vel super glaream. *Inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.*

*Domine Jesu, esse sub sentibus delicias computabant* (*Job* XXX, 7, 2-4, 6, 7).

Dux itineris fuisti (*Ps.* LXXIX, 10), portans coronam spineam et bajulans crucem (*Joan.* XIX, 5, 17). Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, Regis mei (*Ps.* LXVII, 25), usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II, 8). *Clamaveruntque* (*Judic.* VII, 20) : Exeamus igitur ad eum, improperium ejus portantes (*Hebr.* XIII, 13).

*Clamaveruntque :* Eamus et nos, ut moriamur cum eo (*Joan.* XI, 16).

*Clamaveruntque : Ecce quam bonum, et quam jucundum* (*Ps.* CXXXII, 1) *crucem portare post Jesum* (*Luc.* XXIII, 26).

Huic omnes testimonium perhibent (*Act.* X, 43), testimonium veritatis illius fidele (*Eccli.* XXXI, 28).

Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet (*Hebr.* XII, 1, 2).

Dicamus illi (*Job* XXXVII, 19) : Nihil melius est, nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini.

Gloria magna est sequi Dominum (*Eccli.* XXIII, 37, 38).

*Ecce quam bonum et quam jucundum crucem portare post Jesum.*

*Exeamus igitur ad eum, improperium ejus portantes :* prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum (*Ps.* LXVII, 20).

## III MEDITATIO.

*De morte Jesu Christi* (1).

PRIMUM PUNCTUM. — *Professio fidei.*

*Fidei testimonia credibilia nimis.*

*Justus perit* (*Isai.* LVII, 1) : *justus*, Jesus Christus (*Gal.* III, 1). Rex regum et Dominus dominantium (*Apoc.* XIX, 16), Filius Dei vivi *perit* (*Matth.* XVI, 16) crucifixus (*Gal.* III, 1). Quis credidit (*Isai.* LIII, 1)?

Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, terra mota est, petræ scissæ sunt,

(1) Animæ fidelis occupationes variæ circa hoc mysterium, pro vario meditantium statu.

monumenta aperta sunt (*Matth.* XXVII, 51, 52) : tenebræ factæ sunt in universam terram, obscuratus est sol (*Luc.* XXIII, 44, 45). Christus mortuus est, sepultus est, resurrexit tertia die secundum Scripturas; visus est Cephæ, et post hoc undecim : deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul; deinde visus Jacobo, deinde apostolis omnibus (I *Cor.* XV, 3-7). Præbuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei; videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I, 3, 9); assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique (*Marc.* XVI, 19, 20), dixerunt (*Act.* IV, 19) : Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, testamur et annuntiamus vobis (I *Joan.* I, 1, 2). Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20); operati sunt justitiam, juxta fidem defuncti sunt; in occisione mortui sunt, testimonio fidei probati (*Heb.* XI, 33, 13, 37, 39). Creditum est in mundo (I *Tim.* III, 16), in universo mundo (*Col.* I, 6), vicerunt regna (*Heb.* XI, 33) : Dominus regnavit. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, Domine (*Ps.* XCII, 1, 5) : Jesus Christus crucifixus, *mortuus est* (*Gal.*, III 1); credidi (*Ps.* CXV, 10). Vere hic homo Filius Dei erat (*Marc.* XV, 39) : vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isai.* LIII, 4) : vere Filius Dei erat iste (*Matth.* XXVII, 54) : Credo (*Joan.* IX, 38). In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (*Gal.* II, 20). Dominum Deum meum adoro (*Dan.* XIV, 24), Jesum Christum, et hunc crucifixum (I *Cor.* II, 2), serviens Domino cum omni humilitate (*Act.* XX, 19) ; ipse est enim Deus vivens (*Dan.* VI, 26), in dextera Dei sedens (*Col.* III, 1).

II PUNCTUM. — *Exercitium pœnitentiæ.*

SUMMARIUM. — *Cum Jesu Christi mors vere sit pœna peccatorum nostrorum : quantum percipere debemus dolorem ex peccatis nostris, et timorem ex judiciis divinæ justitiæ.*

*Justus perit :* pœnitemini, et credite (*Marc.* I, 15); pœnitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.

*Justus perit* : quæ causa est (*Act.* III, 19; X, 21)? Dixerunt Judæi : Nobis non licet interficere quemquam (*Joan.* XVIII, 31).

Pilatus accepta aqua lavit manus coram populo dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus (*Matth.* XXVII, 24) ; quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo : sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei (*Luc.* XXIII, 22, 15).

Christe, quis est qui te percussit (*Mat.* XXVI, 68)? Venit vox de cœlo (*Joan.* XII, 28) : propter scelus populi mei percussi eum (*Isai.* LIII, 8). Hæc causa est (*Josue* V, 4) : posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum : vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra (*Isai.* LIII, 6, 5). Christus Dominus captus est in peccatis nostris (*Thren.* IV, 20) : peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum (I *Pet.* II, 24).

Peccavimus cum patribus nostris (*Ps.* CV, 6) : *vere ego peccavi* (*Jos.* VII, 20), *Christus mortuus est pro peccatis nostris* (I *Cor.* XV, 3) : omnis mali causa est (*Sap.* XIV, 27).

*Peccavi* (II *Reg.* I, 16) : ego interfeci Christum Domini (I *Mach.* II, 10) : *pœnitet me. Justus perit;* ego sum reus (I *Reg.* XXII, 22), reus corporis et sanguinis Domini (I *Cor.* XI, 27) : *pœnitet me.*

*Christus mortuus est pro peccatis nostris;* delicta quis intelligit (*Ps.* XVIII, 13)?

*Christus mortuus est pro peccatis nostris;* in hoc ipso pœniteamus (*Judith* VIII, 14), *quoniam mortuus est pro peccatis nostris* (I *Cor.* XV, 3).

*Justus perit propter iniquitates nostras : Justus* quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius *ad ostensionem justitiæ suæ, in sustentatione Dei. Ad ostensionem justitiæ suæ, in sustentatione Dei* (*Rom.* III, 25, 26)!

Exemplum accipite (*Jac.* V, 10) : leve hoc (*Ezech.* VIII, 17). Cum vidisset rex Moab prævaluisse hostes, arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum : et facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo (IV *Reg.* III, 26, 27).

Sic Deus (*Joan.* III, 16) proprio Filio suo non pepercit, sed tradidit illum *ad ostensionem justitiæ suæ in sustentatione Dei* (*Rom.* VIII, 32). Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum (*Ps.* XLIX, 22) : irascimini et nolite peccare, compungimini (*Ps.* IV, 5).

Quis non timebit te, o rex gentium (*Jer.* X, 7)? Astabo tibi, et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es (*Ps.* V, 5). Si in viridi ligno hæc, in arido quid fiet (*Luc.* XXIII, 31)? horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Heb.* X, 31), qui etiam proprio Filio suo non pepercit (*Rom.* VIII, 32). Timeamus ergo (*Heb.* IV, 1) ; ne peccemus Domino (II *Par.* XXVIII, 15). Nos facimus malum grande contra animas nostras (*Jer.* XXVI, 19).

III PUNCTUM. — *Varii characteres amoris.*

SUMMARIUM. — *Indignatio adversus eos qui vix, aut nullo modo agnoscunt amorem Christi in se ipsos. Admiratio charitatis qua impulsus Jesus mortuus est pro hominibus. Adhortatio ad redamandum Jesum Christum. Prophetica imprecatio in eos omnes qui non amant illum. Effusio cordis in varios amoris actus.*

*Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo, perit, quia ipse voluit; voluit* (*Isai.* LVII, 1; LIII, 7) propter nimiam charitatem suam *qua dilexit nos; dilexit nos : et non est qui recogitet in corde suo; dilexit nos* (*Ephes.* II, 4) : quis credidit (*Isai.* LIII, 1)?

O insensati, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus (*Gal.* III, 1)? *Majorem hac dilectionem* nemo habet, ut animam suam ponat quis



pro amicis suis (*Joan.* XV, 13) ; in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit (I *Joan.* III, 16).

Commendat autem charitatem suam in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est (*Rom.* V, 8, 9), justus pro injustis (I *Petr.* III, 18), pro transgressoribus (*Is.* LIII, 2), pro impiis (*Rom.* V, 6).

*O insensati*, ingrati, scelesti, sine affectione et voluptatum amatores magis quam Dei (II *Tim.* III, 2-4), *attendite, et videte : majorem hac dilectionem nemo habet* (*Thr.* I, 12) ; nullus habuit (I *Par.* XXIX, 25), et nemo habebit (I *Mac.* X, 35).

*Attendite et videte. Hic est Jesus rex* (*Mat.* XXVII, 37) : expedit vobis ut moriatur pro populo, et non tota gens pereat (*Joan.* XI, 50) ; hic est fratrum amator (II *Mac.* XV, 14), qui doluit super miseriis eorum (*Judic.* X, 16).

*Hic est* bonus pastor, animam suam dat pro ovibus suis : ut vitam habeant, et abundantius habeant (*Joan.* X, 11, 10) ;

*Hic est* misericors et fidelis pontifex, ut repropitiaret delicta populi : per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa (*Heb.* II, 17; IX, 12) ;

*Hic est* magister vester (*Mat.* XXIII, 10) sedens in cathedra sapientissimus (II Reg. XXIII, 8), factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ (*Heb.* V, 9).

Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccatum mundi (*Joan.* I, 29). Omnes nos quasi oves erravimus, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum (*Is.* LIII, 6) ; posuit eum in altare, ut immolaret Filium suum (*Gen.* XXII, 9, 10) : immolatus est : *hic est* (I *Cor.* V, 7) *peccatorum amicus* (*Matth.* XI, 19) ; venit in hunc mundum peccatores salvos facere (I *Tim.* I, 15), et tradidit semetipsum (*Eph.* V, 2) pro peccatoribus derelinquentibus legem (*Ps.* CXVIII, 53).

Hic est Deus noster (*Baruc.* III, 36), qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.

*Hic est Jesus* qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta (*Heb.* XII, 3, 2).

*Majorem hac dilectionem nemo habet.*

*Attendite et videte : ecce quomodo amabat* (*Joan.* XI, 36) : Exuerunt eum : crucifixerunt (*Mat.* XXVII, 31, 35) : foderunt manus, et pedes : dinumeraverunt omnia ossa : diviserunt sibi vestimenta, et super vestem miserunt sortem (*Ps.* XXI, 17-19).

*Ecce quomodo amabat*, portans coronam spineam (*Joan.* XIX, 5), vulneratus (*Is.* LIII, 5), plagatus (*Zach.* XIII, 6), attritus, cum sceleratis reputatus. *Videte :* non est species ei neque decor : a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas ; *videte* despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum (*Is.* LIII, 5, 12; I, 6; LIII, 3, 4).

*Ecce quomodo amabat :* Prætereuntes blasphemabant eum : similiter, et summi sacerdotes illudentes cum scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere (*Marc.* XV, 29, 31). Dederunt in escam fel, et in siti potaverunt aceto (*Ps.* LXVIII, 22) : Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt ; *ecce quomodo amabat* (*Luc.* XXIII, 34), non habens in ore suo redargutiones (*Ps.* XXXVII, 15), preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens (*Heb.* V, 7).

*Ecce quomodo amabat* : cum accepisset acetum, dixit : Consummatum est. *Ecce quomodo amabat* : cum dilexisset suos, *in finem dilexit eos; in finem* (*Joan.* XIX, 30; XIII, 1), in charitate perpetua ; *in finem* (*Jer.* XXXI, 3) usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II, 8).

Jesus, emissa voce magna (*Marc.* XV, 37) et inclinato capite, tradidit spiritum; *ecce quomodo amabat* (*Joan.* XIX, 30) ; fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII, 6).

Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua; *ecce quomodo amabat* (*Joan.* XIX, 34) : testimonium dant aqua et sanguis (I *Joan.* V, 8). Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus : non in aqua solum, sed in aqua et sanguine (I *Joan.* V, 6) : ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem (*Tit.* II, 14).

Et nunc quid Dominus Deus petit a te, nisi ut diligas eum (*Deut.* X, 12)? *Ecce quomodo amabat*, quis credidit (*Is.* LIII, 1)? Quis est homo qui diligit (*Ps.* XXXIII, 13)? *Ecce quomodo amabat*, benignus super ingratos, et malos (*Luc.* VI, 35).

*Nos ergo diligamus Deum* (I *Joan.* IV, 19), eo quod dilexerit (III *Reg.* X, 9) ;

*Diligamus, quoniam prior dilexit nos;*

*Diligamus*, quoniam ille animam suam pro nobis posuit (I *Joan.* IV, 19; III, 16).

Peccatores diligentes se diligunt (*Luc.* VI, 32), *nos ergo diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos.*

Si quis est Domini, jungatur mihi (*Exod.* XXXII, 26) : *diligamus, diligamus, diligamus.* Diligite Dominum, omnes sancti ejus (*Ps.* XXX, 24). Qui timetis Dominum, diligite illum (*Eccli.* II, 10). Anima mea (*Ps.* CII, 1), in omni virtute tua dilige eum (*Eccli* VII, 32) ; in amore ejus delectare jugiter (*Prov.* V, 19).

*Justus perit :* ecce tempus tuum, tempus amantium (*Exec.* XVI, 8) ;

Ecce nunc tempus acceptabile (II *Cor.* VI, 2) :

Tempus flendi, tempus plangendi :

Tempus dilectionis, tempus pacis (*Eccle.* III, 4, 8)

*Diligamus, diligamus, diligamus.*

Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione, amen [*Ephes.* VI, 24].

*Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema* [I *Cor.* XVI, 22].

Diabolus stet a dextris ejus;

Cum judicatur exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.

(*Douze.*)

Fiant dies ejus pauci : et episcopatum ejus accipiat alter.

Fiant filii ejus orphani et uxor ejus vidua.

Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent : et ejiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus.

Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in interitum : in generatione una deleatur nomen ejus.

In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur [*Ps.* CVIII, 6-14].

*Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Dilexit maledictionem et veniet ei : noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

*Hoc opus eorum* [*Ibid.*, 18, 20], *qui* dilexerunt magis tenebras quam lucem, gloriam hominum magis quam gloriam Dei [*Joan.* III, 19 ; XII, 43];

*Hoc opus eorum qui* non dilexerunt animas suas [*Apoc.* XII, 11] : et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt [*Osee.* IX, 10].

*Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.*

Væ mihi est [I *Cor.* IX, 16], *Domine qui amas animas* (*Sap.* XI, 27), si charitatem non habuero (I *Cor.* XIII, 2), si oblitus fuero tui, si non meminero tui; si non proposuero in principio lætitiæ meæ (*Ps.* CXXXVI, 5, 6), scire Jesum Christum, et hunc crucifixum (I *Cor.* II, 2). Dixi : *Diligam te, Domine* (*Ps.* LXXVI, 11 ; XVII, 2).

*Domine, qui amas animas*, Deus dilectionis (II *Cor.* XIII, 11), dilecte votorum meorum, *diligam te* (*Prov.* XXXI, 2), quia me dilexisti (*Joan.* XVII, 24). Diligo Dominum meum (*Exod.* XXI, 5), qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me (*Gal.* II, 20). Domine, amo te ; Domine, amo te ; Domine, amo te (*Joan.* XXI, 15-17).

*Diligam te, Domine*, ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus, et ex omni mente (*Luc.* X, 27).

*Diligam te, Domine*, etiamsi oportuerit me mori tecum (*Matth.* XXVI, 35).

*Diligam te, Domine, diligam* ; quis mihi tribuat ut ego moriar pro te (II *Reg.* XVIII, 33)?

IV PUNCTUM. — *Lamentationes animæ.*

SUMMARIUM. — *Lugeat anima fidelis mortem Christi, quam tota luxit natura; lugeat anima pœnitens; lugeat anima amatrix Christi.*

Jesus clamans voce magna emisit spiritum (*Matth.* XXVII, 50) : Jesus expiravit (*Luc.* XXIII, 46) : Jesus, inclinato capite, tradidit spiritum (*Joan.* XIX, 30).

*Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte. Jesus expiravit* [*Jer.* IX, 1], Dominus meus [*Joan.* XX, 28], rex meus [*Ps.* V, 3], protector meus [*Ps.* XXXIX, 18], salvator meus [*Ps.* XXIV, 5], dilectus meus [*Cant.* I, 121, lux mea [*Mich.* VII, 8], spes mea [*Ps.* XXI 10], vita mea [*Thren.* III, 53].

Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer [*Jer.* II, 12] ; desolati sunt [*Nahum.* I, 5], desolatæ sunt [*Jer.* XXX, 10]. Factus est planctus magnus [I *Mac.* I, 26] ; tenebræ factæ sunt in universam terram, obscuratus est sol [*Luc.* XXIII, 44, 45], velum templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt [*Matth.* XXVII, 51].

O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte : *Jesus expiravit* (*Thr.* I, 12).

Scriptum est (*Matth.* IV, 6) : plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti (*Zach.* XII, 10). Venite, adoremus, et procidamus, *et ploremus ante Dominum* qui fecit nos : quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus.

*Ploremus, ploremus, ploremus* (*Ps.* XCIV, 6, 7).

*Ploremus, quoniam mortuus est pro peccatis nostris* (I *Cor.* XV, 3). In hoc ipso pœniteamus et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus (*Judith.* VIII, 14). Christus mortuus est (*Rom.* XIV, 9) : beati qui lugent (*Matth.* V, 5) ; plangite, sacerdotes; ululate, ministri altaris ; cubate in sacco, ministri Dei mei : *quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris.* Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, et clamate ad Dominum : Parce, Domine, parce populo tuo.

*Christus mortuus est* : a facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum ; nunc ergo convertimini in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Scindite corda vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos : egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo (*Joel.* I, 13, 14 ; II, 17, 10, 12, 13, 16).

Vocate lamentatrices, et veniant : ad eas quæ sapientes sunt mittite, et properent ; festinent et assumant super nos lamentum : deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis, quia vox lamentationis audita est de Sion (*Jer.* IX, 17-19) : *Jesus, emissa voce magna, expiravit* (*Marc* XV, 37). Audite ergo, mulieres, verbum Domini (*Jer.* IX, 20) : *Jesus dixit* : Super vos flete et super filios vestros (*Luc.* XXIII, 28). Assumant aures vestræ sermonem oris ejus, et docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum : *quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris. Ploremus, ploremus, ploremus* (*Jer.* IX, 20).

*Ploremus* : ecce tempus amantium (*Ezech.* XVI, 8), tempus flendi (*Eccle.* III, 4). Sequebatur illum multa turba populi, et mulierum *quæ plangebant et lamentabantur* eum (*Luc.* XXIII, 27) ; stabant juxta crucem Jesu mater ejus, soror matris ejus, Maria Magdalene, discipulus ille quem diligebat Jesus, *et lamentabantur eum* (*Joan.* XIX, 25 ; XXI, 7) ; Petrus flevit amare (*Luc.* XXII, 62). *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte.*



*plorabo* Jesum filium Dei (*Hebr.* IV, 14), Jesum virum approbatum virtutibus, et prodigiis et signis (*Act.* II, 22), auctorem fidei et consummatorem Jesum, pastorem magnum ovium (*Hebr.* XII, 2 ; XIII, 20).

*Plorabo die, plorabo nocte.* Jesu fili Dei altissimi (*Marc.* V, 7), exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam (*Ps.* CXVIII, 136).

Plorabit anima mea, plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrymam (*Jer.* XIII, 17), quia longe factus est a me consolator, periit finis meus et spes mea, lapsa est in lacum vita mea, defecit gaudium cordis nostri.

Domine redemptor vitæ meæ (*Thr.* I, 16 ; III, 18, 53 ; V, 15 ; III, 58), dilecte votorum meorum (*Prov.* XXXI, 2), doleo super te, decore nimis et amabilis. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam (II *Reg.* I, 26), *et diligam et diligam* (*Joan.* XIV, 21). *Ploremus, ploremus, ploremus. Plorabo et diligam, diligam et plorabo.*

V PUNCTUM. — *Occupatio spei.*

*Fundamentum simul ac felicitas spei christianæ.* — Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est ; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum ; si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat? Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* V, 1-6, 8, 10 ; VIII, 31-34).

Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo (*Thr.* III, 21).

VI PUNCTUM. — *Praxis multiplex pietatis erga Jesum e cruce pendentem.*

SUMMARIUM. — *Christianus Jesum crucifixum offerat Deo Patri grate ac confidenter ; adoret animo ejus gloriæ studioso ; habeat semper oculis suis præsentem ; veneretur osculatione pedum ejus et manuum, lacrymarumque effusione, fronti, ori, cordi, brachio applicet quasi signaculum ; obsecret ferventer ut vetus homo crucifigatur in se.*

Dicit Pilatus : *Quid faciam de Jesu, qui dicitur Christus?*

*Et ego dicam : Quid faciam de Jesu*, qui crucifixus est (*Matth.* XXVII, 22 ; XXI, 24 ; XXVIII, 5)?

Eum holocaustum offeram Domino (*Judic.* XI, 31), Deo Patri (*Col.* I, 3), *et dicam* gratias agens (*Act.* XXVIII, 15) : *Pater misericordiarum* (II *Cor.* I, 3), quia fecisti hanc rem et non pepercisti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi (*Gen.* XXII, 16, 17) ; confitebor tibi, Domine Deus, in toto corde meo et glorificabo nomen tuum in æternum (*Ps.* LXXXV, 12) ; misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Ps.* C, 1). *Pater misericordiarum, respice in faciem Christi tui* (*Ps.* LXXXIII, 10), et dimitte universa delicta mea (*Ps.* XXIV, 18).

*Respice in faciem Christi tui*, et non intres in judicio cum servo tuo (*Ps.* CXLII, 2).

*Quid faciam de Jesu?* Adorabo (*Ps.* CXXXVII, 2) procidens ad pedes ejus (*Act.* X, 25), *et dicam* : Adorate eum, omnes angeli ejus (*Ps.* XCVI, 7) ; omnis terra adoret te et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo (*Ps.* LXV, 4). Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem : quia tu creasti omnia ; dignus es, Domine : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem (*Apoc.* IV, 11 ; V, 9, 12).

*Quid faciam de Jesu?* Respice in faciem Christi (*Ps.* LXXXIII, 10), sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Erit vita tua quasi pendens ante te (*Deut.* VI, 7 ; XXVIII, 66) ; erit quasi monumentum ante oculos tuos (*Exod.* XIII, 9). Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum* donec misereatur nostri : *ita oculi nostri* (*Ps.* CXXII, 2) aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum (*Hebr.* XII, 2).

*Ad Dominum aspiciam et dicam* (*Mich.* VII, 7) : Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem (*Eccle.* XI, 7). Dominus lux mea est (*Mich.* VII, 8), sol justitiæ (*Malac.* IV, 2), sol illuminans per omnia, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem : sol in exitu vas admirabile, fornacem custodiens in operibus ardoris, radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis : et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere (*Eccli.* XLII, 16 ; XXXIV, 20 ; XLIII, 2-5)?

Cæci, intuemini ad videndum (*Is.* XLII, 18) ; sedentes in tenebris (*Ps.* CVI, 10), *accedite ad eum* et illuminamini ; *accedite* (*Ps.* XXXIII, 6), calefacimini ; *accedite* (*Jac.* II, 16), concipietis ardorem (*Is.* XXXIII, 11).

*Ad Dominum aspiciam et dicam : Dulce lumen!* Lumen oculorum meorum (*Ps.* XXXVII, 11)! lumen sapientiæ (*Sap.* VI, 23)! lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12)! justitiæ lumen (*Sap.* V, 6)! lumen cœli (*Job.* XII, 5)! admirabile lumen (I *Petr.* II, 9)! inextinguibile lumen (*Sap.* VII, 10)!

*Ad Dominum aspiciam et dicam : Delectabile est oculis videre solem.*

*Quid faciam de Jesu ?*

Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et osculabatur pedes ejus. Tu fac similiter (*Luc.* VII, 37, 38; X, 37).

*Quid faciam de Jesu?* Jesu fili Dei (*Marc.* V, 7), *ponam te quasi signaculum* (*Agg.* II, 24) in fronte (*Apoc.* XVII, 5); non enim erubesco Evangelium (*Rom.* I, 16).

*Ponam te* super labia mea signaculum certum, ut non lingua mea perdat me (*Eccli.* XXII. 33). Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam (*Ps.* L, 17).

*Ponam te* ut signaculum super cor (*Cant.* VIII, 6); exultabit cor meum in salutari tuo (*Ps.* XII, 6) : mirabitur et dilatabitur (*Is.* IX, 5).

*Ponam te* ut signaculum super brachium (*Cant.* VIII, 6); si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo (*Ps.* XXVI, 3).

*Quid faciam de Jesu? Deus meus, clamabo per diem et nocte* (*Ps.* XXI, 3) : *Aspice in me* et miserere mei (*Ps.* CXVIII, 132), Magister, bene dixisti (*Luc.* XX, 39) : si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joann.* XII, 32) : memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti (*Ps.* CXVIII, 49) : *Trahe me post te*; *trahe me* (*Cant.* I, 3) usque ad mortem crucis (*Phil.* II, 8).

*Aspice in me*; ecce homo (*Joann.* XIX, 5), homo peccator (*Luc.* V, 8), vetus homo (*Rom.* VI, 6) : crucifigatur, crucifigatur (*Mat.* XXVII, 25).

*Clamabo per diem et nocte : Aspice :* crucifige crucifige eum (*Luc.* XXIII, 22).

*Clamabo*, *clamabo*; et cum exaudieris (III *Reg.* VIII, 30), *clamabo* : Christo confixus sum cruci (*Gal.* II, 19).

## IV MEDITATIO.

*De potestate Jesu crucifixi adversus hostes nostræ salutis.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Figura hujus potestatis.*

SUMMARIUM. — *Origo et virtus serpentis ænei. Considerationes sapientis super hoc prodigio tam stupendo.*

Misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt : *Peccavimus*, quia locuti sumus contra Dominum et te : *ora ut tollat a nobis serpentes*. Oravitque Moyses pro populo; et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : *qui percussus aspexerit eum, vivet*. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo : quem cum percussi aspicerent, sanabantur (*Num.* XXI, 16, 7 9).

Tu autem Deus noster, suavis et verus es, patiens et in misericordia disponens omnia. Cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur : sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, *signum habentes salutis* ad commemorationem mandati legis tuæ. *Qui enim conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.*

In hoc autem ostendisti (*Ægyptiis*) inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo. Illos enim locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animæ illorum : filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes, misericordia tua enim adveniens sanabat illos. In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, *sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia;* tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis (*Sap.* XV, 1 ; XVI, 5-13).

II PUNCTUM. — *Hanc sibi figuram aptat Jesus Christus.*

SUMMARIUM. — *Imbecilliores homines hauriunt fortitudinem ex cruce Jesu Christi.*

*Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto ; ita exaltari oportet filium hominis. Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III 14-15). Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et super omnem virtutem inimici : et nihil vobis nocebit (*Luc.* X, 19). Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis : et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet (*Is.* XI, 8). Nolite timere (II *Par.* XX, 15) : *non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo* (*Is.* XI, 9).

III PUNCTUM. — *Praxis hujus applicationis.*

Quasi a facie colubri *fuge* peccata. Dentes ejus, interficientes animas hominum (*Eccle.* XXI, 2, 3). *Fuge juxta crucem Jesu* (*Joann.* XIX, 25), *signum salutis* (*Sap.* XVI, 6). Pereuntibus quidem stultitia est : iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, *Dei virtus est ; Dei virtus est* (I *Cor.* I, 18) adversus insidias diaboli, adversus carnem et sanguinem, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ (*Ephes.* VI, 11, 12).

*Si mordeat serpens, fuge juxta crucem Jesu : qui percussus aspexerit eum, vivet* (*Eccle.* X, 11).

*Fuge juxta crucem Jesu signum salutis :* super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem (*Ps.* XC, 13).

*Fuge* in Calvariæ locum : *non nocebunt et non occident in universo monte sancto* (*Joan.* XIX, 17). Respice in faciem Christi : *qui percussus aspexerit eum, vivet* (*Ps.* LXXXIII, 10).

*Ora ut tollat serpentes.*

IV PUNCTUM. — *Oratio ad Jesum Christum crucifixum, in statu tentationis et peccati.*

*Domine qui dixisti : sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Domine, qui conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem* (*Gen.* XXXII, 9)



*Domine*, memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti (*Ps.* CXVIII, 49).

Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me (*Ps.* CXIV, 3); quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus : et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem; et mordet eum coluber (*Amos.* V, 19). *O Domine, libera animam meam* (*Ps.* CXIV, 4).

Ecce draco magnus (*Apoc.* XI, 3), Domine, invadit me (*Tob.* VI, 3) : immundus spiritus, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se (*Luc.* XI, 24, 26),

Superbiam (*Lev.* XXVI, 19), avaritiam (*Exod.* XVIII, 21), luxuriam (*Judæ* 4),

Invidiam (*Philip.* I, 15), crapulam (*Eccl.* XXXVII, 34), iram (*Col.* III, 8), languorem (*Osee.* V, 13).

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me ; ad defensionem meam conspice [*Ps.* XXI, 20]. Ad te, Domine, levavi animam meam : Deus meus, in te confido : oculi mei semper ad Dominum (*Ps.* XXIV, 1, 2, 15), donec misereatur nostri [*Ps.* CXXII, 2]. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi [*Ps.* CXLII, 9]. Clamabo per diem et nocte : *O Domine, libera animam meam* [*Ps.* XXI, 3].

Domine, vim patior, responde pro me [*Is.* XXXVIII, 14]; velociter exaudi me : defecit spiritus meus [*Ps.* CXLII, 7] : defecit in salutare tuum anima mea : defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me [*Ps.* CXVIII, 81, 82]?

Deus, in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina. Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam. Adjutor meus et liberator meus es tu : Domine, ne moreris. *O Domine, libera animam meam* [*Ps.* LXIX, 2, 3, 6].

Serpens decepit me [*Gen.* III, 13], salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te [*Ps.* LXXXV, 2]. Vulnerata est anima ejus [*Eccli.* XXVII, 22] : sana me, Domine, et sanabor [*Jer.* XVII, 14]; respice in me, et miserere mei [*Ps.* XXIV, 16]; sana animam meam, quia peccavi tibi (*Ps.* XL, 5).

Dic animæ meæ : Salus tua ego sum (*Ps.* XXXIV, 3).

V PUNCTUM. *Vox interior Jesu crucifixi ad animam.*

*Confide* (*Matth.* IX, 2), ego protector tuus sum (*Gen.* XV, 1). Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, serpentes tollent (*Marc.* XVI, 16-18).

*Confide ;* ego enim Dominus sanator tuus (*Exod.* XV, 26), et a vulneribus tuis sanabo te (*Jer.* XXX, 17).

## V MEDITATIO.

*Canticum laudis ad gloriam crucis Jesu Christi* (1).

PRIMUM PUNCTUM. — *Vox animæ.*

SUMMARIUM. — *Prima imitatio horum verborum Ecclesiæ :* Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis, sylva talem nulla profert fronde, flore, germine. *In hymno ad Laudes tempore Passionis.*

*Ecce arbor in medio terræ* (*Dan.* IV, 7), *crux Christi* (I *Cor.* I, 17), *benedictum lignum* (*Sap.* XIV, 7), magna arbor et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum : aspectus illius usque ad terminos universæ terræ : folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius : et esca universorum in ea [*Dan.* IV, 8, 9].

*Ecce arbor in medio terræ, crux Christi. Cui similis?* Cedri non fuerunt altiores in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquæ frondibus illius : omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus; æmulata sunt omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei (*Ezech.* XXXI, 2, 8, 9) : quia Dominus regnavit (1) *a ligno* (*Ps.* XCV, 10).

*Cui similis?* Respondebit (*Hab.* II, 11).

II PUNCTUM. — *Vox interior crucis ad animam.*

Nolite me considerare (*Cant.* I, 5) velut lignum aridum in eremo. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris; ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ; ego quasi vitis fructificavi; ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei; in me gratia omnis viæ, in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini (*Eccli.* VI, 3; XXIV, 17, 20, 22, 23, 24, 25, 26).

III PUNCTUM. — *Vox animæ quæ invitat omnes homines ad adorationem crucis Jesu Christi.*

SUMMARIUM. — *Secunda imitatio horum verborum quibus utitur Ecclesia ad crucis adorationem in die Parasceves :* Ecce lignum crucis in quo salus et vita mundi pependit : Venite adoremus.

Accedite gentes, et audite : populus sanctus, redempti a Domino (*Is.* XXXIV, 1; LXII, 12).

*Ecce arbor in medio terræ, crux Christi* : Venite adoremus (*Ps.* XCIV, 6).

*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum*, in quo passus est : *venite, adoremus* (*Hebr.* II, 18).

*Ecce arbor, crux Christi*, benedictum lignum, per quod fit justitia : *venite, adoremus* (*Sap.* XIV, 7).

*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum*, in quo beneplacitum est Deo : *venite, adoremus* (*Ps.* LXVII, 17).

*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum*, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus : *venite, adoremus.*

*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum*, in quo habemus fiduciam : *venite adoremus.*

*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum*, scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea

(1) Canticum istud instar est elogii quod Ecclesia cruci concinit in suis precibus.

(1) Judæi arguuntur a sancto Justino sustulisse et abrasisse in septuaginta virorum interpretatione vocem hanc, quæ denotat evidentissime crucem Salvatoris. Tertullianus, sanctus Augustinus, et alii plures auctores illam usurpant tanquam ex sacra Scriptura, et in precibus Ecclesiæ ascribitur prophetæ Davidi.

extinguere : *venite, adoremus* ( *Ephes.* I, 7 ; III, 12 ; VI, 16).

*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum*, signum salutis (*Sap.* XVI, 6), in quo et credentes signati estis : *venite, adoremus* [*Ephes.* I, 13].

*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum*, in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus (I *Pet.* I, 6) : *venite, adoremus.*

IV PUNCTUM. — *Vox interior crucis ad animam.*

Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino ( *Prov.* VIII, 35 ) : qui autem in me peccaverit, lædet animam suam ; omnes qui me oderunt diligunt mortem (*Ib.*, 36).

In omni terra steti, in omni gente primatum habui, omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi, et in plenitudine sanctorum detentio mea (*Eccli.* XXIV, 9, 11, 16).

*Verumtamen miraculum meum non te terreat* ( *Job.* XXXIII, 7 ). Creator omnium requievit in tabernaculo meo ( *Eccli.* XXIV, 12 ). Dextera Domini fecit virtutem : dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem ( *Ps.* CXVII, 16). Hæc dicit Dominus ( *Ezech.* XVII, 22 ) : Exaltavi lignum humile, (*Ib.*, 24) et hoc erit monimentum nominis mei (II *Reg.* XVIII, 18).

*Verumtamen miraculum meum non te terreat* : spiritus meus dulcis. Nonne a ligno indulcata est aqua (1) amara ( *Eccle.* XXIV, 27 ; XXXVIII, 5 ). Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum (*Cant.* VIII, 6) : tunc deliciis afflues (*Job.* XXII, 26).

V PUNCTUM. — *Vox animæ ad crucem.*

SUMMARIUM.—*Tertia imitatio horum verborum Ecclesiæ :* O crux, ave, spes unica : hoc passionis tempore, auge piis justitiam, reisque dona veniam. *In hymno Vexilla Regis*, etc.

*Crux*, contemptibile lignum ( *Sap* X, 4 ), lignum humile ( *Ezech* XVII, 24 ).

*Crux Christi*, forte lignum et imputribile (*Is.* XL, 20), lignum suavitatis ( *Baruc.* V, 8 ), lignum vitæ his qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam beatus ( *Prov.* III, 18 ).

*Crux Christi*, spes orbis terrarum ( *Sap.* XIV, 6 ), cuncta salus mea et omnis voluntas (II *Reg.* XXIII, 5 )! Mihi absit gloriari nisi in cruce Jesu Christi (*Gal.* VI, 14) ; nec est quidquam ex ea quod non germinet ( II *Reg.* XXXIII, 5 ).

*Crux Christi, spes orbis terrarum*, electa ut sol ( *Cant.* VI, 9 ), illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent [ *Luc.* I, 79 ]; aperi oculos istorum [ IV, *Reg.* VI, 20 ], ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem [ *Act.* XXVI, 18 ].

Adauge nobis fidem [ *Luc.* XVII, 5 ], justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem [ I *Tim.* VI, 11 ] : ut crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus [ *Ephes.* IV, 15 ].

*Crux Christi*, quam pulchra es, amica mea ! pulchra es, amica mea, suavis et decora. Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo [ *Cant.* IV, 1 ; VI, 3 ; II, 3 ; VI, 9].

*Crux Christi*, terribilis ut castrorum acies ordinata ! si consistant adversum me castra, non timebit cor meum [*Ps.* XXVI, 3].

*Crux Christi*, scutum cordis [ *Thr.* III, 65 ] !

*Crux Christi*, lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum : [ *Apoc.* XXII, 2 ] : quam pulchra es et quam decora in deliciis ! Statura tua assimilata est palmæ. Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus [ *Cant.* VII, 6, 7, 8 ].

Fructus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas [ *Gal.* V, 22, 23].

Et quid adhuc dicam [ *Hebr.* XI, 32 ] ?

*Crux Christi, fasciculus myrrhæ mihi* ( *Cant.* I, 12 ).

*Fasciculus myrrhæ mihi* super cor ( *Jerem.* III, 16 ) :

Ut odore illius perfruatur ( *Exod.* XXX, 38 ). Gaudebit cor meum ( *Prov.* XXIII, 15), consolabitur ( II *Mach.* VII, 6 ), confortabitur (*Is.* XLII, 13 ), gloriabitur ( *Eccli.* XXX, 2) *Fasciculus myrrhæ mihi super cor*, sive in morte, sive in vita ( II *Reg.* XV, 21 ).

(1). Istud contigit quando Moyses misit lignum sibi a Domino indicatum in aquas amaras, quæ in dulcedinem versæ sunt. *Exod.* XV, 23.

# QUINQUE MEDITATIONES DE BONA MORTE.

## PRIMA MEDITATIO.

*Intuitus bonæ mortis.*

PRIMUM PUNCTUM. — *Primus intuitus respectu præteriti temporis.*

SUMMARIUM. — *Justis quidem mors est malorum omnium finis; impiis autem terminus gaudiorum omnium.*

*Audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Beati mortui qui in Domino moriuntur;* amodo, *iam dicit Spiritus*, ut requiescant a laboribus suis. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit : neque luctus, neque dolor erit ultra. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus (*Apoc.* XIV, 13 ; XXI, 4 ; VII, 16). O mors ! bonum est judicium tuum homini indigenti et qui minoratur viribus, defecto ætate, et cui de omnibus cura est, et incredibili qui perdit patientiam ( *Eccli.* XLI, 3, 4).

*Dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis : gaudentque vehementer.* Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum : *gaudentque vehementer* cum invenerint sepulcrum. Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore : et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris. Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo ( *Job* III, 22, 21, 22, 17-19).



Non sic impii, non sic ( *Ps.* I, 4 ) ; mors peccatorum pessima ( *Ps.* XXXIII, 22 ) : extrema gaudii luctus occupat ( *Prov.* XIV, 13 ). Idcirco vociferantur, dicentes ( *Exod.* V, 8 ) : Siccine separat amara mors ( I *Reg.* XV, 32 ) ? O mors ! quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum (*Eccli.* XII, 1, 2) ! Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens ( *Sap.* V, 8, 9 ).

II PUNCTUM. — *Secundus intuitus bonæ mortis respectu præsentis temporis.*

SUMMARIUM. — *Morientium impiorum deplorandus et flebilis status. Justorum morientium placidus et felix status, etiam in juventute.*

*Beati mortui qui in Domino moriuntur; non sic impii, non sic : mors peccatorum pessima.* Cum irruperit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit (*Prov.* I, 27), commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur : et erunt gementes, et memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Turbabuntur timore horribili, dicentes intra se : Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles : viam autem Domini ignoravimus. Nati continuo desivimus esse : et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere ; in malignitate autem nostra consumpti sumus. *Mors peccatorum pessima* (*Sap.* IV, 19, 20; V, 2, 3, 7, 13 ).

Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis ; visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum; illi autem sunt in pace, et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur : quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Qui confidunt in illo intelligent veritatem ; et fideles in dilectione acquiescent illi : quoniam donum et pax est electis ejus ( *Id.*, III, 1-6, 9 ).

Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Consummatus in brevi, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia : quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata, longam vitam injusti. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus ; videbunt et contemnent eum : illos autem Dominus irridebit. Et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum ( *Id.*, IV, 7, 13-19 ).

*Audivi vocem de cœlo dicentem mihi :* Justus perit et non est qui recogitet in corde suo. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua ( *Is.* LVII, 1, 2 ). Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus ( *Ps.* XL, 4 ).

III PUNCTUM. — *Tertius intuitus respectu futuri temporis.*

SUMMARIUM. — *Nihil auferunt impii ex hac vita in alteram præter sola sua peccata : justorum vero bona opera sequuntur illos post mortem.*

Beati mortui qui in Domino moriuntur; opera enim illorum sequuntur illos. *Non sic impii, non sic* (*Apoc.* XIV, 13 ). Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis ( *Ps.* LXXV, 6 ). Cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus : cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. *Mors peccatorum pessima* ( *Ps.* XLVIII, 17, 18 ).

Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum ; et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum ; et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem ; nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes ( *Sap.* III, 11, 17-19 ).

Beatus dives qui inventus est sine macula : et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris : qui probatus est in illo, et perfectus est : qui potuit transgredi, et non est transgressus : fecit mirabilia in vita sua. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. In requie sua replebitur bonis suis, et anima illius cum ipso delectabitur (*Eccli.* XXXI, 8, 10, 9, 11, 3, 24) : quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire ad tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam ( *Tob.* IV, 11, 12 ).

*Beati mortui qui in Domino moriuntur ; opera enim illorum sequuntur illos. Opera sequuntur : fiducia magna erit coram summo Deo*, cum surrexerit ad judicandum Deus (*Job* XXXI, 14 ). Tunc respondebunt ei dicentes : Domine, te vidimus esurientem, et pavimus te : sitientem, et dedimus tibi potum : hospitem, et collegimus te : nudum, et cooperuimus te : infirmum aut in carcere, et venimus ad te ( *Matth.* XXV, 37-39 ). *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* ( *Ps.* CXIII, 1 ) : neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante fa